

In illo témpore:

- <sup>1</sup> Designávit Dóminus álios septuagínta duos  
et misit illos binos ante fáciem suam  
in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus.
- <sup>2</sup> Et dicébat illis:  
«Messis quidem multa,  
operárii autem pauci;  
rogáte ergo Dóminum messis,  
ut mittat operários in messem suam.
- <sup>3</sup> Ite;  
ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.
- <sup>4</sup> Nolíte portáre sácculum,  
neque peram neque calceaménta,  
et néminem per viam salutavéritis.
- <sup>5</sup> In quamcúmque domum intravéritis,  
primum dícite: “Pax huic dómui”.
- <sup>6</sup> Et si ibi fúerit fílius pacis,  
requiescet super illam pax vestra;  
sin autem ad vos revertétur.
- <sup>7</sup> In eádém autem domo manéte  
edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt:  
dignus enim est operárius mercéde sua.  
Nolíte transíre de domo in domum.
- <sup>8</sup> Et in quamcúmque civitátem intravéritis,  
et suscepérint vos,  
manducáte, quæ apponúntur vobis,
- <sup>9</sup> et curáte infirmos, qui in illa sunt,  
et dícite illis: “Appropinquávit in vos regnum Dei”.

Verbum Dómini.